



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 63. Cardinalis Noaillii palinodia omnibus Diöcesanis manisestata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

nescius quid ageret, suo chirographo Sæc. XVIII.
 firmavit: Verum novi hujus commenti A. C. 1728.
 inanitas facile detegitur, imo & mani-
 bus palpatur; quo enim fato contigit,
 quod Noaillius ad detestandos suos er-
 rores, revocandas appellationes atque
 ad acceptandam Constitutionem hebes,
 mente vacuus, ineptus, ac innabilis
 fuerit, eodem autem anno & die ad
 conficiendam mentis suæ declaratio-
 nem, ad revocandam suam palino-
 diam & comprobandas appellationes
 &c. viribus integer, sibi plene con-
 scius & compos, ac ingenio firmus ex-
 titerit? Mentita est iniquitas sibi. Lu-
 culentius adhuc patuit eorum fraus,
 dum ipsemet Noaillius iteratis literis
 apud summum Pontificem, aliosque
 vehementer questus est, quod dolosis
 quorundam machinationibus in vul-
 gus sparsum esset, perinde ac si palino-
 diam suam ipse revocasset, & pristinæ
 suæ appellationi pertinacius insisteret.

§. LXIII.

*Cardinalis Noaillii palinodia omnibus
 Diocesanis manifestata.*

Ut vero Noaillius Cardinalis ferventi
 Pontificis desiderio haud cunctan-
 ter satisfaceret, promissis non animosior
 quam facto mox *mandamentum* seu epi-
 stolam

Sæc. XVIII. stolam encyclicam, uti promiserat,
 A. C. 1728. publici juris fecit, ut omnibus suis
 Diæcesanis, immo universo Orbi testa-
 tum redderet, quod posita contumacia
 sese Apostolicæ decisioni sincero humi-
 lique affectu subjiceret, & populi offen-
 sionem, quantum in ipso esset, repa-
 raret, simulque illos fraudum Archi-
 tectos confunderet, qui contrariam ei-
 dem declarationem affingere non eru-
 buerunt.

Igitur die undecima Octobris operi
 manum admovet, & literas suæ sub-
 jectionis testes ad omnes suæ Diæcesis
 fideles divulgat, hujus tenoris:

Nos Ludovicus Antonius de Noailles
&c. omnibus nostræ Diæcesis fidelibus
Salutem & Benedictionem: Gratia
& pax Domini nostri Jesu Christi
sit vobiscum.

„Quo viciniore indies sumus nocti
 „illi, in qua nemo amplius potest ope-
 „rari, eo magis sentimus augeri dolo-
 „rem continuum, qui affligit cor no-
 „strum, ex consideratione tristium dis-
 „sensionum, quæ adhuc perdurant in
 „ista diæcesi propter Constitutionem
 „*Unigenitus*. Quid enim plus amaritu-
 „dinis & doloris offerri nobis possit,
 „quam videre perpetua diversorum stu-
 „dia,

„dia, ad excitandas suspiciones de fin- Sæc. XVIII.
 „ceritate profundi respectus nostri erga A. C. 1728.
 „Sanctam Romanam Sedem, atque de
 „candore filialis nostri affectus erga
 „ipsum summum Pontificem, qui in ea-
 „dem tanta cum dignitate præsidet, quasi
 „caussa adhuc subesset dubitandi de
 „nostra unione cum Collegis nostris in
 „Episcopatu, & quod neglecta inten-
 „tione, ipsoque caractere nostro usur-
 „petur nomen nostrum pro nomine par-
 „tialitatis ac dissensionis. „

„Ad os igitur obturandum, ru-
 „mores veritati adeo contrarios spar-
 „gentibus, ardentè desideramus, in
 „lucem publicam protrahere animi no-
 „stri sensa, quæ corde etiam nostro in-
 „sculpta manent, & si forte nimis diu
 „distulimus sequi inclinationem no-
 „stram, id factum fuit unice ex spe,
 „mentes etiam durissimas reducendi per
 „viam claritatis indulgentia plenæ, an-
 „tequam uteremur Auctoritate nostra. „

„Verum indulgentiæ huic meta jam
 „figenda est, atque ætas nostra, quo-
 „tidie per ipsum defectum virium no-
 „strarum nos admonet, quod brevi a
 „nobis Deo reddenda sit ratio de ad-
 „ministrato tam diu, & laboribus ple-
 „no Episcopatu: ea insuper justo nos
 „metu percellit, ne ingruente subito
 „morte præveniamur, antequam de-

Sæc XVIII. „diffemus argumenta certa, & irre-
 A. C. 1728. „fragabilia obedientiæ nostræ erga
 „S. Romanæ Sedis decreta, atque con-
 „formitatis Sententiæ nostræ cum Sen-
 „tentiis Episcoporum Galliæ. & totius
 „Ecclesiæ, in acceptatione Bullæ: *Uni-*
 „*genitus.*

„Quapropter plene consideratis om-
 „nibus & Sacrosancto Dei nomine in-
 „vocato, acceptamus cum sincerissimo
 „respectu & submissione Constitutio-
 „nem *Unigenitus Dei Filius*, datam
 „8. Septembr. Anno 1713. librum vero
 „reflexionum moralium æque, ac cen-
 „tum & unam Propositiones, quæ ex
 „libro illo extractæ sunt, condemna-
 „mus modo eodem, ac cum iis quali-
 „ficationibus, quibus summus Pontifex
 „librum illum ac propositiones con-
 „demnavit. „

„Unde & omnibus fidelibus utrius-
 „que sexus in nostra Diœcesi existentibus
 „testatum facimus, quod nullatenus
 „liceat sentire quidquam contra-
 „rium illi, quod definitum est in me-
 „morata Constitutione *Unigenitus*. Pa-
 „riter prohibemus legere & asservare
 „prædictum librum, ac omnes illos
 „libros vel instructiones manuscriptas,
 „aut impressas, quæ hætenus editæ
 „sunt, vel edi deinceps possent, pro
 „de-

„defensione prædicti libri, ac damna-
tarum propositionum.,

Sæc. XVIII.

A. C. 1728.

„Mandamus præterea, ut hujus-
„modi exemplaria, quamprimum per-
„ferantur, ad nostrum Secretariatum.
„Prohibemus pariter docere, scribere,
„& loqui de supradictis propositionibus
„aliter, quam in prædicta constitutio-
„ne decretum est, vel defendere aut
„tueri aliquam ex condemnatis propo-
„sitionibus, omnia sub poenis, & cen-
„suris Ecclesiasticis, ipso facto incu-
„rendis, quæ latæ sunt per dictam
„Constitutionem.,

„Declaramus etiam, nos animad-
„versuros esse per viam juris in illos,
„qui præsumperint loqui, docere, præ-
„dicare, aut scribere contra præfatam
„constitutionem, aut qui per falsas in-
„terpretationes averterint fideles ab
„obedientia illi debita, vel qui foverint
„disceptationes, & dissidia, nobis tam
„luctuosa. Et ut plura adhuc ac ma-
„jora demus documenta, sinceræ no-
„stræ erga Sanctam Sedem submissio-
„nis, revocamus corde & animo tam
„instructionem nostram editam decimo
„quarto Januarii Anno 1719. quam
„omne id, quod nostro nomine publi-
„catum, & contrarium est præsentem
„acceptationi, prohibentes simul omni-
„bus & singulis, quocumque tempore

Zz 5

„exi-

Sæc. XVIII. „existentibus omnem usum & praxim
 A. C. 1728. „eorum, quæ tenore hujus decreti re-
 „vocamus, & quidem sub iisdem pœ-
 „nis supra memoratis.,

„Præcipimus denique, ut dicta
 „Constitutio, & præsens nostrum de-
 „cretum inferantur actis Curiae nostræ
 „Archiepiscopalis. Item publicentur,
 „affigantur, ubicumque opus fuerit.

Hisce igitur literis Noaillius palam
 testabatur, quod declarationes a Ques-
 nelistis confictæ, etsi ejus nomen præ-
 ferrent, pro suis tamen non agnoscat,
 sed Constitutionem sine ulla re-
 strictione aut limitatione acceptet, re-
 flexionum librum unacum Ci. Proposi-
 tionibus inde extractis in sensu, quo
 eas Pontifex proscripsit, condemnet,
 & quidquid (proin & suam appella-
 tionem) adversus Constitutionem scri-
 psit, aut egit, detestetur. Publicum
 hoc filialis obedientiæ specimen, &
 luculentum victricis gratiæ testimo-
 nium Franciæ Episcopi, probique om-
 nes eo majori excipiebant lætitia, quo
 rarius & vix a sæculo auditum est, cu-
 jusdam factionis Antesignanum Ec-
 clesiæ rebellem ad ipsius Matris suæ
 gremium humili erroris confessione, sin-
 ceroque animo ultro reversum esse: per-
 arduum enim est, quod ille, qui au-
 ctoritate potens, & dignitate eminent

cete-

ceteros verbo & exemplo a veritatis centro prius abduxit, ipsemet ceteris prior abjecto schismate huic centro iterum uniri desideret. Sæc. XVIII.
A. C. 1728.
 Dexteram tamen Excelsi in Noaillo fecit, ut Clementiæ Divinæ triumphus in eo magis elucesceret, ad confusionem illorum, qui ad meridianam veritatis lucem cæcutire maluerunt, quam poenitentem sequi.

§. LXIV.

Hæc Noailii literæ Parisiis palam affixæ.

Hæc Cardinalis epistola die vigesima tertia Octobris in omnibus ferme Parisinæ Urbis compitis, necnon Ecclesiarum valvis affigebatur, ut vero insani populi a Quesnelistis concitati turbæ ac insultus prævenirentur, Regii Prætoris jussu illum, qui has literas affixerat, tres Apparitores comitabantur, pluresque alii invigilabant, ne illæ a petulanti plebe abstraherentur: insuperhabita tamen hac solertia quædam transumpta fuere abrepta, alia luto & stercore contaminata, non tamen impune; multi enim ex hisce seditiosis ad carceres raptabantur: nihilominus in quibusdam locis præcipue prope Ecclesiam S. Pauli conficta

ficta